



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Chronologia Monasteriorum Germaniæ Præcipuorum Ac Maxime Illustrium

Brusch, Kaspar

Nürnberg, 1682

Pirckhenfeldum, Birckenfeld/ ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-38166

Volckameri, Patricii Norib.

7. *D. Walburgis*, Norica, patre Patricio viro Stephano Volckheimero nata, foemina prudens & facunda, eligitur anno 1476. Inchoavit & plantavit hortum amoenissimum. Præfuit septem annis utilissime. Obiit anno Domini 1483.

8. *D. Juliana Sagittaria*, Norica, successit Walburgi. Præfuit religiose & prudenter annis decem & resignans gubernationem vixit adhuc 7. annis. Obiit anno 1500. in die conversi Pauli.

Schlüßelfelder. Bellum Noribergense cum Casimiro.

9. *D. Anna Schlüßelfelderina*, Sebaldi præstantis civis Norici filia, eligitur anno 1493. Præfuit annis 17. quibus & ambitum & alia multa ædificavit. Sub ejus gubernatione magna clade affecit Casimirus, Marchio Brandenburgensis, Noribergenses ad Afflerbachium à se cæsos anno Dñi 1502. Postea, cum an. 1504. exarsisset bellum Bavaricum, secessit Domina præposita cum 20. fororibus Noribergam. Obiit anno 1510. in die S. Cyriaci.

10. *D. Helena Schlüßelfelderina*, D. Annæ germana foror, subrogatur forori unanimi conventualium consensu. Præfuit 5. annis. Obiit in die Urbani anno Domini 1515.

11. *D. Veronica Scheertina*, è Sultzbachio Palatinatus oppidona, successit Dominae Helenæ ex hac vita evocata. Præfuit 18. annis. Secessit in rusticana seditione Noribergam, & ibi cum conventu per duos menses lauit. Anno vero Domini 1533. resignans, 18. adhuc menses vixit. Obiit anno 1535. die Lunæ post festum trium Regum.

12. *D. Magdalena Kressina*, patre Patricio apud Noricos nata, eligitur anno Christi 1533. Præfuit annis 15. fideliter. Obiit anno 1548. Plurimum injuriarum & oppressio num passa est in bello Germanico à Cæsareanis militibus hac & illac grassantibus, à quibus tamen postea per ipsius clementissimi Cæsaris adventum liberata est.

13. *D. Dorothea Sexina*, Noribergensis, successit Dominae Magdalena anno Domini 1548. Præsudet laudabiliter hoc adhuc currente Jubilæo.

PIRCKHENFELDUM, Birckensfeld/ monialium nobili genere natarum, Cisterciensis ordinis, sub cura & visitatione Ebra-

Ebracensis Abbatis aeternae virginitati dicatarum coenobium, ad
 situm annum supra Neapolin in Ostrofrancis situm, fundatum
 legitur annum Christi circiter 1276. a Friderico, Comite de Zol-
 lern, primo Burggravio Noribergensi, & ejus prima conjuge D.
 Helena, in hoc ipso coenobio, ut aliqui volunt, & ipsa forte po-
 situlavit, deposita & quiescente, cum tamen Noribergae in Fran-
 ciscanorum coenobii choro ejus monumentum conspiciatur cum
 tali inscriptione: Anno Domini 1309. obiit illustrissima princi-
 pissa, Domina Helena, senioris Burggravii Friderici conjux, Du-
 cissa Saxoniae. Habuit hoc coenobium munificos benefactores,
 Nobiles Ostrofrancos de Seckhendoff, hos nimirum, quos Rin-
 hoferos vocant. Quadruplices enim fuerunt Seckhendoffii,
 Rinhofenses, Aberdarrenses, Noltenses, & Hohennegkheri, a
 caltris vel residentiis suis fortasse ita distincti. Haec omnium
 Franciae orientalis familiarum in vulgari dictorio quodam am-
 plissima esse dicitur. Ita enim dicunt Ostrofranci de sua Nobili-
 tate praecipua: *Seinsheimer, die Meisten* / id est, caeteris omnibus
 vetustiores hos esse: ab his enim Nigromontani Comites de-
 scendisse dicuntur. *Einheimer, die Stolzen* / i. e. caeteris super-
 biores, quod amantes forte essent & studiosi praeter usitatum ve-
 terum Francorum morem liberioris alicujus apparatus & paulo
 splendidioris cultus. *Grumbacher, die Reichsten* / i. e. omnium
 opulentissimos. *Seckhendorffer, die Meisten* / hoc est, quorum
 stemma praeter caeteris familiis omnibus varie auctum & latissime
 propagatum sit. Nam illi non in Ostrofrancis tantum, sed in
 Suevia etiam ac Bavaria frequentes habitant. Hi Seckhen-
 dorfferi insignes in hoc coenobio habent sepulturas, cujus Ab-
 batissarum talis est series, talis catalogus:

Helena,
Ducissa.

Nobiles
Seckben-
dorffii,
quadru-
plices.

Comites
von
Schwar-
zenberg
unde orti.

Praecipua
nobilitas
Ostro-
francica.
Catalog.
Abbatis-
sarum.

- | | |
|------------------------|----------------------------------|
| 1. <i>Hildegundis.</i> | 6. <i>Barbara.</i> |
| 2. <i>Adelbeidis.</i> | 7. <i>Elisabeta.</i> |
| 3. <i>Anna.</i> | 8. <i>Agnes.</i> |
| 4. <i>Gertrudis.</i> | 9. <i>Khunigundis.</i> |
| 5. <i>Euphemia.</i> | 10. <i>Margareta de Seckhen-</i> |
- dorff & Rinhofen eligitur anno 1429. Praefuit 20. annis. Obiit
 anno Domini 1449.

Zz 3 II. Doro-

Handwritten notes on the flyleaf, including the word "Chronologia" and other illegible scribbles.

11. *Dorothea* Abbatissa successit *Margaretæ*. Præfuit annis 20. Obiit anno 1469.
12. *Anna de Wilmersdorff* præfuit annis undecim. Obiit anno Domini 1480.
13. *Margareta*, ex *Dapiferorum de Pommersfelden* genere nata, præfuit 14. annis. Obiit anno Domini 1494.
14. *Margareta de Seckendorff* post *Dapiferæ* mortem eligitur in Abbatissam. Præfuit 21. annis. Obiit anno 1515.
15. *Kbunigundis à Gotzfelden* successit *Dominae Margaridi* rebus humanis exemptæ. Præfuit 19. annis. Celebratur fuisse re-ædificatrix collapsi & incendio deleti in seditione rusticana cœnobii. Obiit anno Domini 1534. mense Februario.
16. *Dorothea de Hirscheid* præfuit 6. annis. Obiit anno 1540. ultima hujus cœnobii gubernatrix, relinquens post se unam tantum monialem, *Barbaram à Leehenrode*, qua discedente cœnobiium ab *Alberto Marchione* occupatum & quæstori *Joanni Weickhersreuttero*, literato homini, gubernandum commissum est.

Rietfeldum.

Inter hoc *Pirkenfeldum* & *Neapolin*, civitatem *Brandenburgensium* *Marchionis Alberti* ad *Æstum* amnem sitam, fuit nuper adhuc ad eundem fluvium, qui & cœnobiium & oppidum præterfuit, aliud mendicantium monachorum *Franciscanæ* professionis monasterium, *Rietfeldum*. Id à seditionis rusticis etiam misere devastatum & solo æquatum, hodie *Neapolitano*rum incolarum cœmiterium tantum est.

✿ ✿ ✿
POUNDUM, monialium *Cisterciensis* instituti cœnobiium, infra *Ravenspurgum* civitatem Imperialem, & *Vineas Suevicas* ad initium *sylvæ*, per quam itur ad oppidum *Waldsee*, amœnissimo & fertilissimo loco situm, sic cœpit, ut ex vetustis libellis collegi. Anno Domini 1227. convenerant piæ quædam fororculæ sub *Eberhardo à Rhordorff*, Abbate *Salemitano*, apud *Seefeldum* pagum *Acroniani* lacus: hæ sibi domunculam seu oratorium extruentes sex ibi annis & totidem mensibus vixerunt in pia admodum & innocenti conversatione. Postea cum aliis qui